DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ABSCESSU BURSALI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

OBSERVATIONES AD ABSCESSUM BURSALEM PERTINENTES,

APUD INTERROGATIÓNEM PUBLICAM, PROLOCUTAS ET SUSTENTATAS, DIE JULII II, A.D. 1801, HABITAM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI

JOSEPHI WILLARD, S.T.D. LL.D.

UNIVERSITATIS HARVARDIANÆ PRÆSIDIS,

ET HONORATORUM ET REVERENDORUM

CURATORUM ET ETIAM SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

NEC NON

INSTITUTIONIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Eruditorum Examini subjicit

GULIELMUS INGALLS,

MASSACHUSETTENSIS.

EDITIO NOVA.

PRIORI EMENDATIOR.

BOSTONIÆ:

APUD THOMAM FLEET.

MDCCCIV.

"UNIVERSIS,

UBICUNQUE

TERRARUM,

HUMANITATIS CULTORIBUS,

REIQUE PUBLICÆ LITERARIÆ

FAUTORIBUS,"

Tentamen hocce Medicum

Ea, qua par est, observantia,

D. D. D. C. Q.

GULIELMUS INGALLS.

PENES unumquemque semper fuerit, et quacunque de re scripturum, sermone uti simplice et perspicuo, quicum contentus esse debet ; non enim credo cuiquam nunc fas esse optimos et elegantissimos proprius attingere scriptores.

Glutinosi vocantur humores qui varia corporis cava irrorant.——Omnis vero humor jam secretus, vel natura, vel morbo, plus minus resorberi potest, et in sanguinem redire, eundemque nonnihil corrumpere, et tum forsitan per organa non sua rursus secerni, vel saltem transire.

GREGORY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ABSCESSU BURSALI.

BURSÆ Mucosæ ab anatomicis recentioribus vocantur sacculi membranacei qui in vicinia musculorum magnum motum habentium jacent. Interstitia inter musculos magnum motum possidentes faciunt: inveniuntur etiam inter musculos et tendines, ac nonnunquam tendines et ligamenta. Musculos non penitus amplectuntur; sed tantum eas quæ se mutuo tangunt partes vestiunt. Secernunt mucum limpidum glutinosum, cujus usus est suas internas, ad motum musculorum faciliorem reddendum, et molestas consecutiones quæ alioquin nimio ab attritu sæpissime oriri possint prævertendas, superficies oblinire.

Nuperi bursarum mucosarum situm magna cum cura diligentiaque descripserunt. Iæ ad musculos sequentes, deltoiden, bicipitem brachii, latissimum dorsi,

dorsi, teretem majorem, iliacum internum, psoan, glutæum maximum, medium, minimum, geminos, bicipitem cruris, semimembranosum, cruralem, vastos, gracilem, sartorium, semitendinosum, gemellum, soleum, tibialem anticum atque peronæum longum, adnasci dicuntur.

Bursæ mucosæ, quibus tituli quoque "bursarum tendinibus subjectarum, et sacculorum mucosorum" imponuntur, una cum aliis membranis inflammationi obnoxiæ sunt; e qui abscessus bursalis, morbus interdum periculosissimus, ortum ducit. Quem morbum delineare, ejusque phænomena paucis recensere, hujusce dissertatiunculæ erit negotium. Hoc fortasse a casu subsequenti narrando apprime effici possit.

In autumnitate * homo, annos ad viginti duo natus, corpore bene constituto præditus, cujus modus vivendi liberalis fuit, ad meum consilium de morbosa coxæ affectione petendum, ad me venit. Ex ejus inflatione, diuturnitate doloris, calore præter naturam per totum membrum diffuso, et facultate ægri simul ad res usitatas laboriosasque peragendas, conjectatum fuit, suppurationem valde profundam eventum mali fuisse futurum.

Ea

* A.D. 1797.

Ea medendi ratio, quæ progressum morbi maxime interrumpere ſpectaret, eſt commendata; diæta videlicet admodum antiphlogistica, vesicatoriaque ad coxendicem morbosam subinde admovenda. Sic, emplastro epispastico apposito, inflammationis vis dolorisque severitas, tum remissa tum mitigata est. Hic autem non silentio prætereundum, ægrum me videre raro; eumque non omnibus meis normis obsequi. Nihilominus paulo post, impositu vesicatorii unici facto, morbus, omnibus cujus indiciis magna ex parte imminutis, genu solum occupavit. Etiamsi et hujus articuli dolor, et tumor cuti concolor, morbum hydrarthrum fuisse rheumaticum nunc indicavissent; extuberatio tamen, inter femoris ossis condylum internum et patellam, paulo mox intercedens; et pus in eadem, digitis palpatum, cedens, sensumque liquidi subtus moventis præbens; rem fuisse abscessum plane demonſtraverunt. Qui usque ad ver, angore incomitatus, neque ullo repentino corporis tumultu stipatus, ingravescere non cessabat; cuique tunc temporis aspectus fuit plurimum formidandus.

Cum ver aliquatenus consumptum sit, medicorum convocatorum consultationem de morbo tanti momenti, exitusque tam incerti, libertatem habendi rogavi. Omnes inter medicos, consultatione facta, consensum

consensum est, ut quicquid in tumore contentum evacuaretur. Ab suo consilio igitur tumor lanceola pro abscessu fuit in obliquum ita incidendus, ut plaga pendula cum parte fieret; per cujus os quæcunque puris copia, nullo aëre circumambiente in ejus cavum interea temporis admisso, emitti posset.

Propter modum inæqualem, quo pus, eo agitato, nunc huc nunc illuc fluxit, perspicuum fuit, ut in cystidibus sit inclusum; postea autem, tumore rescisso, eum de quibusdam qui sibi invicem adjunxerunt sacculis esse conflatum, atque fuisse bursalem quoque, certius factum est; nam tantum unum iter, inter sacculos internos et externos per aperturam parvulam ante os femoris, est repertum; atque horum sacculorum situs, cum eo bursarum mucosarum apud hodiernos descriptarum, æque ac earum, quas ipse in fœtus cadaver dissecando deprehendi, examussim congruit. Omnibus ex quibus diagnosis morbi tandem in promptu fuit.

Ob vastam intumescentiæ molem, arteriæ pulsum insigniter formicantem, enervatumque corporis statum, prognosis morbi reddita est valde incerta et quidem infausta. Non omittendum vero, ut musculi femorales summum robur post operationem retinentes,

retinentes, et ægroti corpus natura bene constitutum, ejusdem exitum pollicerentur aliquanto meliorem.

Propter auxilium admodum magnum, in similibus rebus, salubritate aëris ruri deducendum, domicilium, quod non procul abfuit a Bostonia, elegimus; ubi operatio, sub auspicio viri * sua arte præclari, est instituta.

Incisura, de qua supra diximus, utrique coxæ lateri facta est. Pus e plaga externa sine impedimento effluxit; iter vero per internæ ostium lymphæ coagulatæ corpore est obturatum. Obex fuit tantus, ut opus esset ad scalpello plagam ampliandam, priusquam poterat exhauriri materies, quæ puri non penitus concocto simillima fuit, et tres libras pendebat. Postea, ad musculos invalidos suffulciendos; ad aëra circumambientem excludendum; adque adhæsionem partium dimotarum adjuvandam; membrum totum lanea fascia vini gallici spiritu madefacta præligabatur. Tumor lympham coagulatam serumque continuit.

Detractationem

* Johannes Warren, Anatomes et Chirurgiæ Professor, vir ille clarissimus, qui a proprii sui ingenii vigore ad usque altissimum gradum in re medica cæterisque artibus et scientiis attigit.

Detractationem puris tanti, ex apostemate juxta magnam femoralem arteriam collocato, effici non posse, luculenter patet, sine magnum tumultum in totum corpus afferente; atque nullam attentionem ad constitutionem corporis sustinendam remitti oportere, ut hæc ab mali tam gravissimi effectibus se recuperaret.

Accidit ideo, ut, post abscessum apertum, gangræna primum, ægrum cita morte rapere, deinde febris hectica, miserum ægrotantem lenta labe consumere, minataretur.

Quia eadem fere remedia postulat et universalis et localis quæ hos morbos et præcedit et comitatur debilitas, nulla symptomatum alterutri peculiarium ratione habita, tres nunc memorandas indicationes curatorias selegimus.

1. Scilicet ad periculum præcavendum, quod, ex invalido musculorum femoralium statu, enasci posset; 2. imminutis corporis habitus viribus; atque 3. irritabilitate morbosa. Quæ absolutæ sunt.

I. A femoris musculis, iis fascia spiritu gelido madefacta constrictis, sustentandis, eo quod nisus suarum particularum in contactum adjuvaretur.

II.

II. A incisuræ labia sejungendo, penicillo in plagam indito, eo quod et pus corruptum et aër putridus effluerent.

III. A sodam vitriolatam et pulvem radicis rhabarbari adhibendo, eo quod alvi constrictio solveretur.

IV. A hæc medicamenta, prout usus postulaverat, adhibendo, vinum, nempe, pulvem corticis cinchonæ rubræ, opium, tincturam opii camphoratam, decoctum radicis serpentariæ virginianæ, cum tincturis tonicis et astringentibus; atque victus et levis et nutrientis rationem præscribendo; eo quod cum habitus corporis valesceret, tum ejus irritabilitas nimia mulceretur et compesceretur.

Hæc methodus medendi exitum habuit felicem. Cujus potestati paulatim succubuerunt morbi indices; atque sanatio, octo septimanis non prorsus præteritis, est perfecta.

Liceat mihi forsitan, ut pauca, de quibus hactenus scripsimus, notare aggrediamur.

1. Alvus primum astricta, quæ vix tandem soluta est. Quod attribuendum est, partim mutationi subitæ tum e diæta nimis excitante ad victus regimen nonnihil antiphlogisticum, tum ex nimio labore ad otium; partimque corporis conflictui quem operationem civerat.

2. Licet astringentia, tonica, antispasmodica, opium revera, large exhibita essent; appetentiæ dejectio tamen, inquietudo, immodici nocturni sudores, tussicula, accessus febris, sua ex facultate vehementer infirmitante, morbi exitum infaustum minari perstiterunt. A qua doctrina hæc res est exponenda pro certo affirmare nequeo, certo autem certius est, triste hocce spectaculum, tinctura opii camphorata administrata, feliciter mutari. Prima hujus medicamenti portio, incantato similis sive instar nepenthis Helenæ, suo functa est officio. Sudores repressit; somnum induxit; atque vires exinanitas refecit. Totam remedii specialis efficaciam habuisse visum est. Postea non omnino opus erat ad quivis alio medicamento utendum; etenim e morbo vires tam celeriter redintegravit æger ut ipse postea aliquanto ad pristinas res agendas se susciperetur.

3. Non omnino omittendum, ut, dum convalescebat ægrotus, extuberatio mollis et dolor suo genu, inter femoris ossis condylum internum et patellam, denuo insederint; et pus, majori copia secretum, interno e vulnere copiosius emanaverit; aditu vero, ab inflatione ad orificium incisura factum, indagato, unam circiter muci limpidi glutinosi unciam expressi: sanatio postea sine intermissu progrediebatur; et membrum demum evadebat ita validum, ut ipse hodie integro ejusdem usu fruitur.

4.

4. Nihil, quod ad hoc malum attinuit, operationem incisura pendula cum parte patrasse, retulerat; nam necesse fuit partem pendulam, ut supra diximus, aperuisse, ne, hac occlusa, coiret vulnus. Verumtamen plagæ cujuslibet, pariter ac incisuræ pendula cum parte, labia, cum se mutuo tangant, prima intentione chirurgorum quavis in parte, qua vis vitalis musculorum foret tanta, quanta hic fuerat, adhærere vellent. Princeps hujusmodi operandi propositum mihi fuisse videtur, ut pars abscessus permagni fluidi sine aëra ambientem in ejus cavum admittente, detrahi posset; (quippe aër, ut inquiunt medicinam facientes, non solum ad resorptionem intendendam, semper spectat; sed etiam secretionem puris augendam, adque hoc revera corrumpendum;) tunc pars pendula erat tam arcte claudenda, et partes, collectione infirmatæ, fascia tamdiu præligandæ, dum hæ satis vigoris recuperarent, eo ut ad operationem iterandam expediretur: quæ iterum iterumque erat eousque repetenda, donec moles abscessus esset tam diminuta, ut hic, sine funestos, qui a suppuratis prægrandibus semel et simul evacuandis aliquando proveniunt, effectus edente, latius rescinderetur.

Facultas vero pus secernendi est minor, et potestas idem resorbendi major, in abscessu, antequam aër intra ejus cavum introït. Hoc ascribendum

est

est viribus adventitiis, musculosis tumoris fluido quam plurimum distenti parietum fibris, allatis. Nam, subducente hac distentione, solvuntur vasa exhalantia, et puris affatim effundunt; (quam autem hæc minus plus laxantur, tam pus fit minus plus laudabile;) pariter atque vasa resorbentia infirmantia suam vim resorbentem amittunt; atque nisi aëri ambienti facultas suppetit propria vires cum exhalantibus resorbentibusque communicandi, sequitur, secretionis vim, postquam aperitur abscessus, augeri, et resorptionis diminui. Aër ambiens verum, ad humani corporis calorem, fibræ viventi, in pneumatosi puta et aliis morbis, est prorsus innoxius ac haud irritans; nobis ergo videtur, ejus facultatem vasa aut exhalantia aut resorbentia irritandi levissimi esse momenti. Exinde, ut tum accrescat puris secretio, tum decrescat resorptio, post abscessum rescissum, deduci possit.

Hanc doctrinam, ut febris hectica nempe ab resorptione pendat, opinioni stabilitæ repugnare, haud sum ignarus. Hæc opinio verum, ut puto, ejus antiquitati magis debetur, sanctionique apud eruditos ei datæ; quam suæ cum œconomiæ animalis legibus congruentiæ. Re denique observatione constante et diutina explorata, colligere fas est, ut opinor, ut omnia febris hecticæ phænomena, potius

exinanitione

exinanitione et exinde irritabilitate nimia, quam resorptione morbosa, originem educere exponantur. Fatendum quidem, ut extent exempla puris, in abscessu absorpti; sanguinis in venas effusi, in contusione; humorisque distillati, in hydrope; attamen fere accidit, ut ab his in corpus adferantur nulli morbosi effectus, nec etiam ullus tumultus. Si, in hujusmodi sermone, nobis hunc digressum ulterius extendere liceret, resorptionis morbosæ auxilium, ad febris hecticæ phænomena explicanda, theoriam hodiernam non poscere, forsitan demonstraremus. In præsentia nos, ad rem investigandam et perscrutandam, omittere decet.

5. Abscessus bursalis non solum in uno sacculo, sed multis, contineri potest. Cum suppuratio in una bursarum mucosarum semel obveniat; pus, priusquam integumenta perrumpit, vel in sacculos contiguos semet insinuare possit, vel in partes, ubi bursæ sunt non valde manifestæ: quoniam est fluidi, quoquoversum premere, et assidue penetrare in partes quæ suæ distentioni minus resistunt. Hoc in modo, immodica abscessus, de quo tractamus, magnitudo, ac ejus forma, quæ tumori de cystidibus conflato fuit haud absimilis, explanandæ sunt.

6. Abscessus bursalis noxa externa oriri potest.

7. Bursæ, pari fere ratione ac pleura, inflammationi pyrexia comitatæ, sunt subjectæ. Solum, per totum indiciorum singulæ male se habenti membranæ propriorum decursum, etiamque in methodo medendi, discrimen, notatu dignum, hac a re proficiscitur; ut hæc, partes quæ ad vitam magis necessariæ sunt, quam illæ, circundat.

8. Ut prævertantur infelices qui de bursarum mucosarum vitiis nasci possint effectus, nobis confugiendum est, ad opem, ut res postulet, venæsectionis, laxativorum, sudorificorum, ad inflammationem universalem, sive febrem, discutiendam; atque ad opem, seu per scarificationem ac cucurbitularum impositionem, seu hirudinum, sive sanguisugarum, admotum, sanguinem detrahendi, et vesicatoria imponendi, ad inflammationem localem reprimendam. Cum enimvero abscessus jamjam existit, opus est, ut quicquid in eo contentum foras ejiciatur. Ratio, qua peragendum est, nullo modo tanti est ponderis, quantum, ut removeantur eæ res, quæ morbi medelam retardare; atque ut administrentur ea medicamina, quæ ægrotum ad sanitatem redigere; possent.

F I N I S.